

Nihil variationis est in lectione, nisi in versu 17. vbi illud, *Imò nō est spiritus in ore eorum.* Ebr. sic habet ut: **מִתְּבֵדֶל אַתָּה רֹאשׁ כְּפִיחָה**: quod Græc. & vulg. Lat. sic legunt: *Neq; enim est spiritus in ore eorū.* Hieron. Sed nec est spiritus in ore ipsorum. Felix: *Quippe non est spiritus in ore eorum.* Pagninus etiam: *Non est spiritus in ore ipsorum.* Mihi videtur Psaltes hoc voluisse exprimere: *Quid dico de eo, quòd os habent, & non loquuntur: oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt: cùm ista etiā de illis prædicari queant, qui licet hisce sensibus careant, viuentes tamē existunt: quales sunt muti, cæci ac surdi, qui & ipsi nec loquuntur muti, nec vident cæci, nec audiunt surdi.* At simulachra gentium non solum muta sunt, cæca & surda, sed prorsus mortua. *Neq; enim spiritus aliquis est in ore eorum.* Vt hunc Prophetæ sensum exprimerem, reddidi ad hunc modum: *Imò non est spiritus in ore eorum: quòd & Hieron. versio respicere videtur.* Quæ autem explanationem & obseruationes horum quatuor versuum concer-
nunt, non est opus, vt hic assignentur. Nam supra Psal. 115. versibus 4. 5. 6. 7. & 8. ista ad verba ha-
bentur: quòd lectorem remitto.

19. *Domus Israël benedicite Domino, domus Aheronis benedicite Domino.*
 20. *Domus Levi benedicite Domino, timentes Domini benedicite Domino.*
 21. *Benedictus Dominus à Zyon, qui habitat Hierusalem, Halleluiah.*

Nulla est & hic in lectione varietas: nisi quod in postremo versu alij legunt: *Benedictus Dominus ex Zion.*

**EXPLA-
NATI-** *Dominus Israël benedicite Dominum.] Quemadmodum Pial. I 15. post reprobationem simulachrorū dos-
mum Israël, familiam Aheronis & timentes Dei adhortatus est, ut sperent in Dominū: ita hoc Psal-
mo, post eandē simulachrorū reprobationem hortatur eosdem, ut benedicāt Dominō. Illic cōue-
niebat, ut hortaretur eos ad sperandum in Dominum, quia Israēlitis insultabant gentes, ac dicebāt:
Vbi est nunc Deus vester? hic verò conuenientius est ut hortetur ad benedicendū Domino, quia
versatur in cantico laudis Dei, celebrans bonitatem eius erga Israēleim, & potentiam aduersum gen-
tes declaratam Discriminat autē inter domū Aheronis, & domum Leui, tanquam inter partem ac
totum Nam domus Aheronis pars est domus Leuitarum. Discrimen erat, quod sacerdotium dos-
mū Aheronis, reliqua sors diuini cultus cæteris Leuitis contigerat Versu ultimo Psalmum cū As-
zorosiq̄ Dei concludit, & quasi verba ad benedicendum Dominō illis subministrat, quos ad laudē
illius excitauit. De eo quod Deum vocat *Dominum à Zijon*, dictum est suprà Psal. I 28. versu 5. Adiicit
hic: *Qui habitat Hierusalem*: ut id exponat, quod præmisit, dicens: *Benedictus Dominus à Zijon*. Nam ideo
Deum vocavit *Dominum à Zijon*, quod sedem suam Hierosolymis elegerat.*

O B S E R. *Domus Israël benedicite Domino.]* Quare specialiter dominum Aheronis & Leui ad benedicendum
Domino hortetur, obseruandum illis est & considerandum, quibus in Ecclesia Dei diuina hoc vo-
catione contingit, ut sacris ministerijs sint deputati. Generalis quidem benedicendi Domino cau-
sa, vniuersum illius populum in communi obligans, haec est, quod communiter omnes ab illo sunt
in gratiam & peculium electi: verum specialiter illis competit laus Dei, qui ultra communem elec-
tionis gratiam, etiam dignitate sunt sacri ministerij in domo Dei cohonestati.

Timentes Domini benedicite Domino.] Obseruádum híc est, quòd à timentibus Dei requirit, vt Domino benedicant: hoc est, Dominum quem timent, laudibus deprædicent & extollant. At veheinenter mirabile videtur, si quis laudet eum quem timet. Nam in seculo proverbium hoc iactatur: Quem quis p timet, perisse cupit. Consequens autem est, vt nemo hunc facilè laudet, quem perisse cupit. Admonemur igitur hoc loco, timentes Dei, qui ad laudandum illum excitantur, non esse eos qui serviliter, sed qui more filiorum, Dominum timent & obseruant: cui obseruantiae coniuncta est dilectio, imò cui dilectio instar est radicis & fontis.

O B S E R. *Benedictus Dominus à Zÿon.] Cogiteimus hoc & alijs consimilibus locis, in quibus Propheta tanto-
pere gratiam illam Dei celebrat & cōmendat, qua sibi in Sion locum habitandi delegit, quām nos
deceat illius deprēdicare philanthropiam, qua sibi locum non ad tempus, sed in sempiternum: nō
figuratè ac typicè, sed verè & corporaliter habitandi in carne & ossibus nostris delegit, dum ver-
bum suum in hunc Mundum, vt caro fieret salutis nostræ gratia de misit.*

PSALMVS CXXXVI.

ARGVMENTVM PSALMI.

Hortatur Psaltes ad laudandum Deum, propter bonitatis illius beneficiatam generalia, quam specia-
lia Israëli praestita.

VERS.L



- 

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum benignitas

 2. *Confitemini Deo deorum, quoniam in sec. &c.* (eius.)
 3. *Confitemini Domino dominorum: q.*
 4. *Qui facit mirabilia magna solus: q.*
 5. *Qui fecit cælos cum intellectu: q.*
 6. *Qui extendit terram super aquas: q.*
 7. *Qui fecit luminaria magna: q.*
 8. *Solem, ut præcesset diei: q.*
 9. *Lunam & stellas, ut præcessent nocti: q.*

Qui